





Nf. 96.





Programma

18  
an 77

FESTO NATIVITA-  
TIS IESV CHRISTI  
DOMINI NOSTRI

P. P.

IN ACADEMIA IVLIA.



HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI

ANNO MDCCCXXVII







PROFECTOR ACADEMIAE  
IVLIAE.

HERMANNVS CONRINGIVS  
Medicinae Doct. & Professor  
publicus &c.

CIVIBVS ACADEMICIS  
S. P. D.



Um multis aliis nominibus felicia sunt No-  
vi foederis tempora praegressis, tum  
longe exactiore divinarum rerum notitia.  
Eti enim ne nunc quidem plenam omni-  
bus numeris perfectamque simus eam  
consequuti, sed talem adhuc expectemus:

1. Corinth.  
XII, 9. 10.

donum coelestis vitae proprium. *Ex parte enim cognoscimus,  
& ex parte prophetamus: ubi autem venerit το τέλειον, perfe-  
ctissimum scilicet illud seculum, tunc illud ex parte abolebitur.  
Cernimus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad fa-  
ciem.* Nec vero ea vulgi tantum hodie est conditio sed &

2. Corinth.  
XIII, 4.

ipsorummet olim fuit Apostolorum, & quidem ejus etiam  
qui raptus in tertium caelum audivit ibi ἀρρητα ῥήματα. Eti-  
am ille enim de sese seorsim diserte scripsit: *nunc cognosco  
ex parte, tunc verò cognoscam quemadmodum & cognitus sum.*  
Longo tamen intervallo etiam haec *ἐν μέγας* major est hodie  
& illustrior sapientia per Evangelium orbi patefacta, quam  
fuit illa prisca. Imò perinde hanc illa superat quam su-  
peratur ipsa à gloria exquisitæ illius perfectitudinis. Hac  
de re ne dubitemus, si aliarum rerum testimonia deessent, ve-  
tarent



erant utique sola diserta aliquot in eam sententiam verba  
 cum ipsiusmet Salvatoris tum ejus Apostolorum. Ita di-  
 spensationem Evangelicæ doctrinæ *μυστήρια* appellavit τῆς  
 βασιλείας τῶν οὐρανῶν Christus ipse; non utique sic appellatu-  
 rus si passim fuisset nota. Imo nunquam antehac perinde  
 fuisse cognitam, ipsemet aperte indicavit cum, verba de  
 mysteriis illis faciens, addidit illa ad discipulos: *vestri vero  
 beati sunt oculi (mentis scilicet) quia vident, & aures vestrae (iti-  
 dem mentis, nam de hisce loquitur) quia audiunt. Amen  
 enim dico vobis quod multi Prophetae & justi desideraverunt vi-  
 dere quae videtis & non viderunt: & audire quae auditis & non  
 audierunt.* Per multos enim omnes intelligi argumento  
 est, quod Matthæus verbis Asaph *μυστήρια* illa simpliciter  
 dixerit *κεκρυμμένα δὲ πρὸ καταβολῆς κόσμου*. Iam vero & Apo-  
 stolis frequens est, Evangelicam de salvando homine do-  
 ctrinam Augusto *μυστηρίων θεῶν* titulo nuncupare. Imo per-  
 inde ut Matthæum Evangelistam loquentem audivimus,  
 ita & S. Paulus doctrinam illam omnem appellat in epistola  
 quidem ad Romanos *ἀποκάλυψιν μυστηρίων χρόνοις αἰωνίοις σσι-  
 γημένων*: in epistola ad Colossenses *μυστήριον ἀποκεκρυμμένον δὲ πρὸ  
 τῶν αἰώνων, ἃ δὲ πρὸ τῶν γενεῶν, νυνὶ δὲ (ait) ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῖς*:  
 ad Ephesios *μυστήριον τὸ θελήματ' Ἰησοῦ χριστοῦ τὴν ὁδοκίαν αὐτοῦ ἣν  
 κωλύετο ἐν αὐτῷ εἰς οἰκονομίαν & πληρώματ' ἁγίων*: item  
*μυστήριον ἀποκεκρυμμένον δὲ πρὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ*: ad Corinthios  
*σοφίαν θεῶν ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν κωλύεσεν ὁ θεὸς πρὸ  
 τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν, accommodans illa sive ex apocry-  
 phis sive ex Esaiâ deprompta, Quæ oculus non vidit, & auris  
 non audivit, & in cor hominis non ascenderunt, preparavit  
 Deus diligentibus se, & mox addens ἡμῖν δὲ ὁ θεὸς ἀπεκάλυψε  
 ἡμῖν τὰ πνεύματ' ἁγίων αὐτοῦ*. Idem sanctissimus Apostolus ad Ti-  
 motheum gratiam qua salvamur scribit *datam quidem*

Matt. xiii.  
 11.  
 Marc. iv. 11.  
 Luc. ix. 10

Matt. xiii.  
 16. 17.

Matt. ibid.  
 35.

Rom. xvi.  
 26.  
 Coloss. i.  
 26.

Eph. i. 9. 10.  
 Eph. iii. 9.

Corinth. ii.  
 7. 9. 10.

2 Timoth.  
 1. 9. 10.



*nobis ante tempora aeterna, Φανερωθεῖσαν δὲ νῦν διὰ τῆς Ἰησοῦ Φανείας*  
*Ἐ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ qui mortem quidem abolevit vitam*  
*autem in lucem produxit ac immortalitatem per Evangelium.*  
 Tit. 1, 2. 3. *ad Titum quoque spem vitae aeternae promississe quidem Deum*  
*περὶ χρόνων αἰώνων obscurius scilicet. patefecisse autem temporibus*  
*suis per predicationem quae sibi sit commissae, h. e. per evan-*  
 Petr. 1, 20. *gelium. Similiter & S. Petrus Christum ait προεγνωσμένου μὲν*  
*περὶ καταβολῆς κόσμου, Φανερωθέντα δὲ Ἰησοῦ ἐσχάτων τῶν χρόνων.*  
 Quid? quod maximè miremur, quodque ceu audivi-  
 mus Apostolum maxime facit εἰς δόξαν ἡμῶν, non homines  
 tantum natos omnes, sed etiam ipsos Angelos atq; archan-  
 gelos latuisse quae nobis jam revelata sunt, diserte iidem  
 Apostoli prodiderunt? Petrus sane scripsit, in ipsa illa de-  
 siderare angelos ὁραύσαι; Paulus vero, per Ecclesiam notam  
 fieri nunc principatibus ac potestatibus in caelestibus plurimum va-  
 riam sapientiam Dei. Itaq; de salute animarum scrutati quidem  
 sunt Prophetae qui de ventura in nos gratia sunt vaticinati, & de-  
 sideraverunt illi videre atq; audire quae nostris hodiè oculis  
 & auribus sunt exposita; tantæ tamen dotis minime fa-  
 cti sunt compotes, quoniam hanc felicitatem Christi  
 temporibus unicè servasset Deus. Quae scil. vaticinati sunt  
 Spiritu Dei acti Prophetae, illa involucris varijs obtecta  
 sunt, τύποι τῶν μελλόντων; scripta tamen ad nostri admonitio-  
 nem εἰς ἃς τὰ τέλη τῶν αἰώνων καθήνησεν. Et vero magis illa pa-  
 tent nobis quàm Prophetis olim ipsis, velamine veteris Testa-  
 menti tū adhuc superstiti, quod non nisi per Christum abolerur.  
 Nempe Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illu-  
 xit in cordibus nostris, ad illuminationem notitiae gloriae Dei in  
 facie Iesu Christi. Sanè Propheticum sermonem constat  
 non esse ἰδίας ἐπιλέσεως: verum ut Spiritu S. impulsī illi lo-  
 cuti sunt, ita multo magis ab eodem Spiritu unicè expe-  
 ctanda



standa est & interpretatio. *Cen lucerna itaque duntaxat  
est ille, & quidem lucerna apparens in obscuro loco, donec dies  
illucescat & lucifer exoriatur in cordibus nostris. Progressa au-* Rom. xiiij,  
*tem jam nox est & appropinquavit dies. eoq; splendet jam no-* 13.  
*bis ille lucifer, ille ex alto Oriens. Cæterum omnino rem  
ita sese habere, vel solo Apostolorum exemplo potest luce  
clarius illustrari. Erant illi utiq; homines si qui alij pietate  
eximij, versati in lectione scripturarum, & tamen etiam  
cum aliquamdiu jam audivissent docentem Christum,  
quantillum noverant de regno ejus cœlesti, de futura ejus  
passione, morte, resurrectione, adeoq; omni salutis οικονο-  
μιας. Aliorum in populo Iudaico peritiam meliorem  
fuisse nemini temere probabitur. Sed quorsum hæc?  
Ego vero CIVES ACADEMICI in hunc sermonem  
quasi pertractus sum memoria ingentis arcani, cui hic ipse  
dies pridem ab Ecclesia est consecratus. Extra con-* 1 Timoth.  
*roversiam videlicet, uti ait Apostolus, magnum est τῆς εὐσε-* III, 16.  
*βείας μυστήριον: Deus manifestatus est in carne, justificatus est in  
spiritu, visus est angelis, predicatus est gentibus, fides illi ha-  
bita est in mundo, receptus est in gloria. Quanti arcani pa-  
refactio vel illud unum est, Θεός ἐφανερώθη ἐν σαρκί: aut, uti  
S. Ioannes exprimit hoc tonitru, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ  
ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν! Adventurum Messiam sive σωτῆρα quen-  
dam ac regē humani generis, & quidē ex posteritate Davi-  
dis, jam dudum quidem Iudæis omnibus innotuerat. Eun-  
dem fore singulari quadam ratione etiam Dei filium, iti-  
dem jam videtur fuisse passim cognitum, ex Psalmo se-  
cundo, quem nec hodie desinunt Iudæorum optimi de  
Christo accipere. Nec enim aliunde dixeris orta illa  
ipsius principis sacerdotum: adjuro te per Deum viventem,  
ut dicas nobis, αντησις Christus, ὁ υἱὸς ἑ ἱεῦ ἑ ζώντος. quodq;*



Nathanaël & Petrus dum Iesum Messiam profiteren-  
tur hunc titulum mox addiderint. *Verbum* quoq; esse *Deum*,  
ut simul tamen etiam *apud Deum sit*, adeoq; non exhauriat  
omne quod in Deo est, præterea per Verbum omnia esse facta  
quæ facta sunt, non injuria dixeris saltim multis Iudæorum  
fuisse jam tum cognitum, atque hæcenus eos profecisse ex  
Propheticis monumentis; si spectes quæ hodieque versan-  
tur in manibus cum Philonis tum Paraphrastarum Chal-  
daica scripta, in quibus hæc utique perspicue habentur.  
At vero carne indutum Verbum illud Messiam fore, nescio  
an cui ex vulgo tum venerit in mentem. Sane Chal-  
dæus Paraphrastes Pentateuchi quem Ierosolymitanum  
appellant ad cap. x i i Exodi scribit: *Nox quarta erit  
cum finem suum compleverit adeptus erit mundus, ut labe-  
retur: Funes iniquitatis vastabuntur & juga ferrea con-  
fringentur: Moses è medio deserti exibit, & rex Messias è  
medio Romæ, alter in nubis unius, alter in alterius culmine  
equitabit, & Verbum Domini inter utrumq; & simul ambulabunt.*  
Auctor quæstion. ad Antioch: *Ausim dicere, ne ipsos quidem  
beatos Christi discipulos perfectam sententiam de ejus divini-  
tate habuisse, antequam in eos Spiritus sanctus die Pentecostes  
ellapsus esset.* Quo vero cum que modo hac parte instru-  
ta fuerit synagoga vetus, omnino ingens est & summe ad-  
mirabile illud: **DEVS IN CARNE EST MANIFESTA-  
TVS.** Grande sane arcanum (ô juvenes!) hinc mens concipit,  
loquitur lingua: nec concipere tamen mens potest quod  
concepit, nec lingua eloqui quod loquitur. Omnia ad-  
mirationis, omnia stuporis plena. Absit enim ut my-  
sterij pondus, cum Cerintho, Ebione, Theodoro, Pau-  
lo, Ario, alijs qua veteribus qua recentibus hæreticis  
contra clara S. S. codicum oracula, contra perpetuam lan-  
ctæ



etæ Ecclesiæ catholicæ doctrinam, elevemus. Verbum  
Patris, ex Patre ante omnem genitum creaturam, imo per  
quod omnia facta sunt quæ sunt facta, esse hominem na-  
tum & carnem factum, personarum dudum orbis ab Apo-  
stolis edoctus, confirmatus miraculis, sanctificatus ope-  
ribus, antequam paucos hæreticos istos natura abortif-  
set. Quid ni ergo & nos tot disertè ab ipsis Apostolis  
conscriptis, tot ab ijs qui eos audierunt docentes prodi-  
tis testimoniis habeamus fidem, & in homine Deum in  
Deo hominem colamus, adoremus, veneremur? Scili-  
cet creator nunc creatura, qui immensus fit exiguus, qui  
æternus & sine principio momentis temporum subicitur:  
omnium dominus egenus: omnium rex servus nascitur.  
Hic est dies ille expectatus Prophetis: desideratus om-  
nibus, ignoratus tamen, etiam ipsis Angelis: qui nunc eo  
majore lætitiâ perfusi primo natales adeò insolitos cele-  
brantes annunciant nobis gaudium magnum. Nempe no-  
strum cum primis est nunc gaudere serio, quoniam in terrâ  
pax, atque homines nos reconciliati Deo nostro sumus,  
quem in olitis nostris vitijs & alienum nimis reddideramus  
& infensum. Iam triumphum canebat Diabolus, per-  
tracto in rebellionis suæ partes humano genere; jam ni-  
hil non porrò sibi pollicebatur eximii, quod passim ipse  
met jam adoraretur à nobis qui cervices ejus debeba-  
mus calcare. Nos vero miseri exuti bonis nostris, quasi  
sine præsidio, sine auxilio relictis, nec modum miseriæ no-  
stræ nec finem noscebamus, segregum ovium instar lu-  
porum libidini expoliti. Ubique lætus. pavor ubique.  
ubique mors. omnia desperata. Tantis malis una hora  
imposuit finem: unus infans recens natus rem omnem  
restituit. Redditus nobis pastor qui tueatur nos à lupo.  
genitus



genitus homo qui hominem origini suæ reducat. genitus  
coelis homo, qui triumphantem in terris Diabolum  
conculcet. genitus Deus homo, qui hominem cum Deo  
vicissim uniat. Nostrum est, o optimi, cunabulis ani-  
mæ excipere infantem illum, & sanctissimis ulnis amplecti  
puerum tot bonorum auctorem. Quin præparemus ita-  
que hospiti illi saltim non proorsus indignum domicilium.  
Offeramus regi mundæ conscientiæ aurum: offeramus  
Domino precum pura; offeramus Deo submissi cultus  
myrrham. Ita ille frater, ille rex, ille Deus noster, faciet  
uti nos unum simus cum ipso, quemadmodum ille unum  
est cum Patre. Cui laus sit honor & gloria in æternum.  
P. P. in Academia Iuliâ, ipsis feriis Theophan. Anno  
1610. L.





Je 765



ULB Halle  
002 413 515 3




TA-OL

VD 77

42







*Handwritten text in cursive script, partially obscured and illegible.*





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								

